



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCX. Christus prædicat signa Judicij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

ratur, ac ex vivis & electis lapidibus constructum est, nempe tota Ecclesia, vel Ordo tuus Religiosus; contra quod Templum portæ Inferi non prævalebunt. Considera ergo, quàm boni in eo sint Lapidés, id est, Sancti Homines, qualia DEI Dona & Ornamenta, quàm ordinata & firma Structura, per unionem & subordinationem Charitatis ac Obedientiæ, atque per alias Solidas Virtutes, ac Sanctissimas Leges constabilita. Itaque etiam tibi gratulare, teque ipsum exhortare illis Apostoli Verbis. Ephes. 2. v. 19. *Jam non estis hospites & advenæ: sed estis Cives Sanctorum, & Domestici DEI: Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo Angulari Lapide Christo IESU: in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino: in quo & Vos coædificamini in Habitaculum DEI in Spiritu.*

MEDITATIO CCCCX.

Christus prædicit signa Judicij.

Matth. 24. à v. 3. Marc. 13. v. 3. Luc. 21. v. 7.

PUNCTUM I. *Et cum sederet in monte Olivarum contra Templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus, Ioannes & Andreas: Dic nobis, quando illa fient? (quæ paulò antè in itinere de interitu Templi prædixisti) & quod Signum erit, quando hæc omnia incipient consummari? Marc. 13. v. 3. Et quod Signum Adventus tui, & consummationis Saculi? Matth. 24. v. 3.* Considera, Christum pro Signo consummationis sæculi Discipulis suis, totam Ecclesiam ibi repræsentantibus, recensuisse communes totius Mundi, & particulari-

ticulares Fidelium calamitates, nempe praelia & op-
 niones praeliorum, seditiones, terræ motus, pesti-
 lentiam, famem, terroresque de Cælo: Ipsorum eti-
 am Apostolorum & Martyrum captivitatem, fla-
 gella, mortem &c. Dixit enim Luc. 21. v. 9. *Cum*
autem audieritis praelia, & seditiones, nolite terri: opo-
ret primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicet
illis: Surget Gens contra Gentem, & Regnum adversus Re-
gnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia,
& fames, terroresque de Cælo, & Signa magna erunt. Sed
ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur
&c. Voluit autem DEVS & consummationi Sæculi
 universali, & consummationi hominum in particu-
 lari, hujusmodi plura adversa præmittere, & Chri-
 stus prædicere, ne homines bonis terrenis adhere-
 scerent, & Cælestia contemnerent; sed ut potius cu-
 perent dissolvi, & esse cum Christo. Deinde, ut futu-
 rorum adversorum præscij, ad Patientiam, & animi
 Fortitudinem se præpararent, & actuali eorum per-
 pessione alterius Vitæ promeritas pænas minuerent,
 & Præmia augerent. Hunc ergo fructum & tu ex
 Christi Sermone refer: qui tantò altius animum tuum
 penetret, & fortius moveat, quòd coram quatuor
 amantissimis Discipulis, tali tempore, nempe uno tan-
 tum adhuc biduo, suam Mortem ac Passionem ante-
 cedente, in monte Oliveti, ubi Christus Passionem
 acerbissimam postridie erat inchoaturus, & unde pau-
 lò post ad Cælestia Præmia erat ascensurus, fuerit
 prolatus. Ut proinde hujusmodi adversa à Dilectis-
 simis etiam DEI Servis, Christo Exemplo suo mo-
 præunte, & ad Cælestia Præmia invitante, nove-
 ris sustinenda.

PUNCT. II. *Ego dabo vobis os, & Sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Luc. 21. v. 15. *Et capillus de capite vestro non peribit.* v. 18. Ne multitudine adversorum, & adversariorum terreamur, promittit Christus nobis suum Auxilium, ut verbis & factis sapienter nos geramus; & Protectionem, ut sine ipsius Providentia ac permissione nec minimum malum nobis inferatur. Hac itaque Fidia & Spe nosmet muniamus, & solemur contra omnia adversa, & adversarios.

PUNCT. III. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeret Charitas multorum: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic Salvus erit.* Matth. 24. v. 12. *In Patientia vestra possidebitis Animas vestras.* Luc. 21. v. 19. Hæc duo inter hujus Mundi adversitates observanda monuit Christus in suo Vaticinio, Perseverantiam in fervore Charitatis, ne malis aliorum exemplis intepescamus; & Patientiam, ut Animæ nostræ dominium, & possessionem retineamus, & ejus Salutem consequamur; nec illam perdamus, aut detrimentum illius patiamur.

MEDITATIO CCCCXI.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14.

Luc. 21. v. 20.

PUNCTUM I. *Cum ergo videritis abominationem Desolationis (id est, abominabilem Desolationem; Lucas ait: cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem tempore Titi & Vespasiani) qua dicta est à Daniele*

E e

Pro-